

I. Instituit Christus sacramentum, id est externum ritum testificantem de promissione euangelij.<sup>181</sup> Nulla igitur alia praesentia constitui potest nec debet quam illa, quae est praesentia sacramentalis vel praesentia ministerij, qua Christus efficax est in cordibus piorum. Iam illa vnio veri corporis cum symbolis toto genere diuersa est a ratione formali sacramenti. Cum enim vt optime docuerunt veteres sacramenta ex duplici constant parte, terrena et coelesti,<sup>182</sup> siue vt recentiores loquuntur ex signo et re signata,<sup>183</sup> certe corpus Christi verum nec res terrena nec signum est, non enim incurrit in sensus. Si dicant esse rem coelestem vel signatam, quaero: vnitur ne vera et reali illa praesentia homini, an vero cessante actione desinit substantialis praesentia? Plurimi et saniores merito abhorrerent ab illa substantiali transfusione et commixtione naturae humanae Christi. Hi vero, qui vna eum [60:] enthusiastata Silesio docere audent, etiam secundum humanam naturam vere et substantialiter Christum adesse in cordibus piorum,<sup>184</sup> hi monendi sunt, vt discant τὰ εὐφημα loqui. Nam profecto de talibus verum est:

„Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.“<sup>185</sup> Promissiones de vnione nostri cum corpore Christi nequaquam stabiliunt illam enthusiasticam et Suenckfeldianam deificationem alienam a voce diuina sicut supra satis ostensum est.<sup>186</sup> Inserimur viuifico corpori Christi ipso λόγῳ effundente in nos de suo spiritu, vt hoc vinculo ipsi colligati ex eius corpore hauriamus laeticiam et vitam, vt talia in nobis fiant, qualia λόγος in propria sua massa efficit, perinde sicut in homine ex fonte vitae per intermedios canales vitales halitus ad omnia membra propagantur, quorum beneficio communi vita cum corpore fruuntur, etsi longe a corde vel capite absunt. Hac deinde corporali vnione, quae nobis est cum mediatore, vere transferimur ad vnionem spiritualem cum tota diuinitate. Talis enim est Deus, qualis est imago fulgens in Filio nato ex virgine, et ad eandem nos oportet transformari, vt Deo efficiamur conformes in hac quidem vita per inchoationem, per consummationem vero in altera, vbi Deus erit omnia in omnibus. De hac duplici vnione loquuntur

<sup>181</sup> Vgl. Philipp Melanchthon, *Loci praecipui theologici* (1559), in: CR 21, 847 (MWA 2/2, 497, 8–11).

<sup>182</sup> Vgl. Irenäus von Lyon, *Adversus haereses* IV, 18,5, in: PG 7, 1029 (FC 8/4, 146,10f).

<sup>183</sup> Vgl. Augustin, *De doctrina christiana* II, 1–2, in: PL 34, 35–37 (CChr.SL 32, 32f).

<sup>184</sup> Der Schlesier Caspar von Schwenckfeld vertrat eine zunehmende Vergottung der Menschheit Christi während seines Erdenlebens, die ihren Höhepunkt in seiner Himmelfahrt gefunden habe. Curaeus zieht hier die Konsequenz, dass seine Gegner zusammen mit Schwenckfeld die Position verträten, dass Christus auch seiner menschlichen Natur nach in den Herzen der Gläubigen gegenwärtig werden müsse. Zur Christologie Schwenckfelds vgl. Maron, *Individualismus und Gemeinschaft*, 52–66.

<sup>185</sup> Vgl. Philipp Gualtier de Lille, *Alexandris* V, 301, in: Gualteri de Castellione *Alexandris*, hg. v. Marvin L. Colker, *Thesaurus mundi. Bibliotheca scriptorum latinorum mediae et recentioris aetatis* 17, Padua 1978, 133.

<sup>186</sup> Zum Terminus „Apotheosis“ im christologischen Kontext bei Caspar von Schwenckfeld vgl. seinen Druck: *Caspar von Schwenckfeld, Bekandtnus vnd Rechenschafft* (1548), in: CSch 11, 144,17–21.